

25 Junij

1726

Barcelona

Nos Doñ Bernārdus Ximēnez de Cascantē, Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Barcinon. Regiusque Consiliarius: Universis, & singulis personis Ecclesiasticis, tam Secularibus, quàm quorumvis Ordinum Regularibus, cæterisque personis etiam Laicis, quacumque auctoritate, & dignitate fungentibus, seu functuris, quibus nostræ litteræ pervenerint, salutem in Domino: Novit, quod pro observantia Bullæ Innocentii XIII. dat. Romæ 13. mensis Maii 1723. incipientis: *Apostolici Ministerii*, in forma specifica per Benedictum XIII. confirmatæ suis cum litteris dat. Romæ die 23. mensis Septembris 1724. idem Benedictus Papa XIII. quandam edidit Constitutionem, de mandato suæ Sanctitatis, Nobis missam per Illustrissimum Dominum Don Alexandrum Aldrobandini, in his Hispaniarum Regnis suæ Sanctitatis cum facultate Legati de Latere Nuntium, juriumque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Collectorem Generalem: quæ quidem Constitutio est tenoris sequentis, videlicet: = Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Benedicti XIII. Pont. Max. Constitutio renovatoria Bullæ Apostolici Ministerii circa disciplinam præsertim Regularem pro Regnis Hispaniarum. BENEDICTUS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam, = PASTORALIS Officii sollicitudo Nos admonet in his vigilantia, & auctoritatis Nostræ partes libenter interponere, ut quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad Dominici Gregis, animarumque salutem, & directionem providè constituta reperiuntur, suum plenarium sortiantur effectum. Cùm itaque quamplurimum ex Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regnorum Hispaniarum litteris non ita pridem intellexerimus, Constitutionem pro Ecclesiasticæ disciplinæ in eisdem Regnis conservatione, & instauratione à foel. record. Innocentio Papa XIII. prædecessore Nostro die xiii. Maii 1723. post maturum consilium editam, quæ incipit: *Apostolici Ministerii*, &c. ac subindè à Nobis per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 23. Septembris 1724. desuper expeditas litteras, quibus totum ipsius Constitutionis tenorem inseruimus, confirmatam, & innovatam, per nonnullos præsertim Regulares in dictis Regnis degentes, haud omninò, ut par erat, servari, quinimò ejus executionem variis artibus, inanibusque prætextibus retardari, atque eludi, graviter commoti fuimus, nec desuimus conceptum indè dolorem, ac indignationem Nostram cum Superioribus Generalibus ipsorum Ordinum communicare, eisque disertè explicatè firmam, constantemque voluntatem, ac intentionem Nostram esse, ut memorata Constitutio promptæ, & omnimodæ executioni demandaretur, & in transgressores, seu inobedientes condignis poenis animadverteretur; Ipsi verò Superiores Generales pro ea, qua præditi sunt, prudentia, probitate, & filiali in Nos, & hujus Sanctæ Sedis mandata obsequio, id contra, & præter eorum mentem, ac non sine intimo animi sui mæore accidisse Nobis ingenuè declararunt, vehementer etiam improbantes quidquid contra eandem Constitutionem scripto, vel facto attentatum fuerit per aliquot suos subditos, pro quibus erroris, ac noxæ veniam à Nobis suppliciter implorarunt, simulque polliciti sunt sedulam se duros operam, ut quæ in ea facienda, servandaque præscribuntur, ab omnibus, & singulis suis Religiosis absque mora adimpleantur. Licet autem Nos non minus ad enixas eorundem Superiorum Generalium preces, quam ob peculiarem paternæ charitatis affectum, quo Religiosas semper prosequuti sumus, & prosequimur Familias, in quarum altera, in clyto nempè Fratrum Prædicatorum Ordine diù versati sumus, à poenis adversus dictos transgressores infligendis abstinemus, nihilominus quæcumque hætenus ad remorandam, sive cludendam, aut quomodolibet impediendam prædictæ Constitutionis executionem à nonnullis ex prefatis Regularibus scripta, acta, & gesta fuerunt cum inde sequutis, & quodocumque sequutis, auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus, ac pro reprobatis, & damnatis ab omnibus haberi volumus, & decernimus. = Præterea, gravius mentis Nostræ super

A

eadem

eadem Constitutione testimonium, ac Judicium perhibere volentes, districtè, ac in virtute sanctæ Obedientiæ Nobis Vicaria Christi potestate in terris fungentibus ab universis Christifidelibus debitæ, harum serie denuò præcipimus, & mandamus, ut exactè, & inviolabiliter, omnique colore, prætextu, titulo, & contraria quavis interpretatione prorsùs sublatis, serventur omnia, & singula in enarrata Innocentii Prædecessoris Constitutione sancita, ordinata, declarata, ac quoquo modo contenta, quæ Clerum, tum Secularem, tum Regularem prædictorum Regnorum concernunt, etiam juxtà formam in hisce literis Nostris, ut infra præscribendam. Cùm igitur in eadem Constitutione inter alia cautum fuerit, ne in Monasteria, Conventus, & Domos, tam Virorum, quàm Mulierum plures Personæ reciperentur, quam quæ, vel ex proventibus ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, sive ex consuetis elemosynis, aliisque obventionibus in commune conferendis possint commodè sustentari; hinc pro firmiori saluberrimæ istius sanctionis robore statuimus, ut Superiores eorundem Monasteriorum, Conventuum, & Domorum subditis suis, sive Clericis, sive Conversis ibidem degentibus subministrari curent, & faciant omnia ad victum, & vestitum necessaria; Et si plures Religiosos in aliquo Conventu nunc existere compertum fuerit, quàm in eo juxtà modum præmissum sustentari valeant, Superior Provincialis, sive Prælatus eos ad alterum ejusdem Provinciæ Conventum, qui ipsorum sustentationi idoneus, & sufficiens sit, statim transferat; Quatenus verò numerus Religiosorum in singulis Provinciis degentium, vires Conventuum uniuscujusque Provinciæ respectivè excedat, non alii deinceps ad Religiosum habitum in ea suscipiendum admittantur, donec per obitum hodiè viventium illo redactus sit, ut commodè ali valeant: Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in eisdem Hispaniarum Regnis Nuncio seriò injungentes, quatenus sedulò curet, ut præmissa plenarium suum effectum obtineant, prout illi in dicta Constitutione demandatum fuerat. = Similiter volumus, ut in promotione Regularium ad Ordines, decretum piæ memoriæ Clementis Papa VIII. Prædecessoris etiam Nostri, juxta memoratam Constitutionem accuratissimè observetur, districtè quoque inhibentes omnibus Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, nè eisdem Ordines conferre præsumant alicui Regulari, qui vel in Monasterio, sive Conventu intra suam Diocesim sito non degat, vel si de familia Monasterii, seu Conventus alterius Diocesis fuerit, litteras dimissorias sui Superioris Regularis non exhibeat, servata in præmissis decreti Clementis, ac Constitutionis Innocentii Prædecessorum prædictorum dispositione. = Eisdem quoque Archiepiscopis, & Episcopis sub interminatione divini judicii denuò præcipimus, ut quibuscunque mulierum Monasteriis, tam sibi subjectis, quàm etiam quomodolibet exemptis, omni studio, ac diligentia incumbant, & advigilent executioni eorum, quæ pro custodienda Sanctimonialium clausura, impediendoque in dicta Monasteria exterorum ingressu, tum in Sac. Concilii Tridentini Decretis, tum in Constitutione similis memor. Gregorii PP. XIII. Prædecessoris itidem Nostri, quam idem Innocentius Prædecessor in præfata sua Constitutione innovabit, desuper sancita fuerunt. = Porro injungimus quoque exactam ejusdem Innocentii Constitutionis observantiam, circa Confessiones à Regularibus prædictis, nec etiam ex indulto, quod eis competere perperam prætenditur in vim Bullæ Cruciatæ Sanctæ nuncupatæ, nec ex alio quocumque privilegio excipiendas absque præcedente approbatione, & licentiâ Ordinarii pro tempore existentis loci, in quo Sacramentum Pœnitentiæ ministratur, servata quoque limitatione, quæ in ipsa licentiâ ab eodem Ordinario adjecta fuerit, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel genus Personarum; Declarantes, quod in omnibus casibus prædictis confessiones aliter factæ, & respectivè exceptæ nullæ, acque invalidæ, ipsique Confessarii eo ipso suspensi erunt. = Ad hæc rursus prohibemus, atque interdiciamus, ne Regulares cujuscumque Ordinis, & Instituti excipere audeant Confessiones Monialium, etiam eorum regimini subjectarum, & ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exemptarum, nisi; ultra licentiâ suorum Superiorum Regularium, examinati fuerint, & pro ipsarum Monialium Confessionibus audiendis

specialiter approbati ab Episcopo Diocesano; Et si secus factum fuerit, tunc quoque Confessiones irritas, & Confessarios ipso jure suspensos fore itidem declaramus; Ab hujusmodi tamen lege, & ordinatione ad supplicationem Dilecti Filii Nostri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, & Moncada nuncupati eximimus Superiores Generales, ac etiam Provinciales cujusvis Ordinis Regularis, quibus, ut Confessiones Monialium sibi tamen subjectarum dumtaxat, absque istiusmodi speciali approbatione Episcopi Diocesani audire licite, & valide possint, permittimus, & indulgemus. = Et quia mentis, ac intentionis Nostræ est, ut remota quavis diversa intelligentia, & interpretatione præcisè serventur ea, quæ in eadem Innocentii Prædecessoris Constitutione super assignatione, seu deputatione Confessarii extraordinarii Monialibus sub Prælatorum Regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque, ut Superiores, qui Decretum illud quocumque titulo, vel prætextu non servaverint, vel ejus executioni aliquod impedimentum directè, aut indirectè præbuerint, ipso facto suspensionem ab eorum Officiis, nec non privationem vocis, tam activæ, quàm passivæ incurrant. = Eisdemque pœnis eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis subjicimus etiam Regulares, qui sancitis, & ordinatis tum à rec. memor. Clemente Papa XI. tum ab ipso Innocentio Prædecessoribus quoad celebrationem Missæ in Oratorijs privatis, sive eorundem Regularium Cellis, nec non usum Altaris gestatorii, seu portatilis qualitercumque contraverint, seu minimè obtemperaverint. = Decernentes pariter easdem præsentis litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari debere: Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfate Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præ eminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, & quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliisque quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, ac Præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, & Locis Piis prædictis: Illorumque respectivè Superioribus, aliisque quibuslibet personis, etiam specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatorijs, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine in genere, vel in specie, aut alijs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alijs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eadem præsentis litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant,

niant, volumus, illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctari, & affigere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo Perionæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ: Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Martii 1726. Pontificatus Nostri Anno Secundo. = F. CARD. OLIVERIUS. = Loco ✕ Annuli Piscatoris. = Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Indictione quarta, die verò 28. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papa XIII. anno secundo suprascriptæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris, Cancellariæ Apostolicæ, Montis Citatorii, & in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Marchetti Apost. Curs. Nicolaus Capelli Mag. Curs. Romæ, Typis Reverend. Cameræ Apostolicæ 1726.

Certifico es Copia del transumpto autentico, remitido para su execucion por el Eminentissimo Señor Cardenal Pauluci, Secretario de Estado de su Sanidad, al Ilustrissimo Señor Don Alejandro Aldrovandini, Arçobispo de Rodas, Nuncio, y Colector General Apostolico en estos Reynos de España, mi Señor; y como su Secretario de Camara lo firmé en Madrid à siete dias del mes de Mayo de mil setecientos y veinte y seis años.

Don Vicente Thomàs de Eguizaval, Secret.
Quæ omnia, & singula vobis omnibus, & singulis Personis, quibus præsentis Litteræ diriguntur intimamus, & notificamus, & ad vestram, & cujuslibet vestri notitiam deducimus, ne in posterum ignorantiam dictæ Constitutionis allegare valeatis. Dar. in actu visitationis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Civitatis Mataronen. die 25. mensis Junii 1726.

Bernardus, Episc. Barcin.

Locus Si ✕ gilli

**De mandato dicti Illustris & Reverendissimi
Dñi Barcin. Episc. præsentis expedivit,
Doctor Franciscus Rifos Presbyt. Not. & Scriba
Curia Vicariatus Ecclesiastici Barcin.**